

Rsp. Pf XVIII-332

TRANSLATIO

CARMINE FACTA

PSALMI

CENTESIMI DECIMI OCTAVI,

CUM QUINDECIM GRADUALIBUS,


JUXTA VULGATAM EDITIONEM.



TOLOSÆ,

Apud JOANNEM - JACOBUM ROBERT ; Lutetiae
Parisiorum Lib. Art. Magistrum , Typographum &
Bibliopolam , prope Collegium Regium.

CUM SUPERIORUM LICENTIA.
M. DCC. LXVI.



1
2
3
4
5
6
7
8
9
10
11
12
13
14
15
16
17
18
19
20
21
22
23
24
25
26
27
28
29
30
31
32
33
34
35
36
37
38
39
40
41
42
43
44
45
46
47
48
49
50
51
52
53
54
55
56
57
58
59
60
61
62
63
64
65
66
67
68
69
70
71
72
73
74
75
76
77
78
79
80
81
82
83
84
85
86
87
88
89
90
91
92
93
94
95
96
97
98
99
100
101
102
103
104
105
106
107
108
109
110
111
112
113
114
115
116
117
118
119
120
121
122
123
124
125
126
127
128
129
130
131
132
133
134
135
136
137
138
139
140
141
142
143
144
145
146
147
148
149
150
151
152
153
154
155
156
157
158
159
160
161
162
163
164
165
166
167
168
169
170
171
172
173
174
175
176
177
178
179
180
181
182
183
184
185
186
187
188
189
190
191
192
193
194
195
196
197
198
199
200
201
202
203
204
205
206
207
208
209
210
211
212
213
214
215
216
217
218
219
220
221
222
223
224
225
226
227
228
229
230
231
232
233
234
235
236
237
238
239
240
241
242
243
244
245
246
247
248
249
250
251
252
253
254
255
256
257
258
259
260
261
262
263
264
265
266
267
268
269
270
271
272
273
274
275
276
277
278
279
280
281
282
283
284
285
286
287
288
289
290
291
292
293
294
295
296
297
298
299
300
301
302
303
304
305
306
307
308
309
310
311
312
313
314
315
316
317
318
319
320
321
322
323
324
325
326
327
328
329
330
331
332
333
334
335
336
337
338
339
340
341
342
343
344
345
346
347
348
349
350
351
352
353
354
355
356
357
358
359
360
361
362
363
364
365
366
367
368
369
370
371
372
373
374
375
376
377
378
379
380
381
382
383
384
385
386
387
388
389
390
391
392
393
394
395
396
397
398
399
400
401
402
403
404
405
406
407
408
409
410
411
412
413
414
415
416
417
418
419
420
421
422
423
424
425
426
427
428
429
430
431
432
433
434
435
436
437
438
439
440
441
442
443
444
445
446
447
448
449
450
451
452
453
454
455
456
457
458
459
460
461
462
463
464
465
466
467
468
469
470
471
472
473
474
475
476
477
478
479
480
481
482
483
484
485
486
487
488
489
490
491
492
493
494
495
496
497
498
499
500
501
502
503
504
505
506
507
508
509
510
511
512
513
514
515
516
517
518
519
520
521
522
523
524
525
526
527
528
529
530
531
532
533
534
535
536
537
538
539
540
541
542
543
544
545
546
547
548
549
550
551
552
553
554
555
556
557
558
559
560
561
562
563
564
565
566
567
568
569
570
571
572
573
574
575
576
577
578
579
580
581
582
583
584
585
586
587
588
589
590
591
592
593
594
595
596
597
598
599
600
601
602
603
604
605
606
607
608
609
610
611
612
613
614
615
616
617
618
619
620
621
622
623
624
625
626
627
628
629
630
631
632
633
634
635
636
637
638
639
640
641
642
643
644
645
646
647
648
649
650
651
652
653
654
655
656
657
658
659
660
661
662
663
664
665
666
667
668
669
670
671
672
673
674
675
676
677
678
679
680
681
682
683
684
685
686
687
688
689
690
691
692
693
694
695
696
697
698
699
700
701
702
703
704
705
706
707
708
709
710
711
712
713
714
715
716
717
718
719
720
721
722
723
724
725
726
727
728
729
730
731
732
733
734
735
736
737
738
739
740
741
742
743
744
745
746
747
748
749
750
751
752
753
754
755
756
757
758
759
760
761
762
763
764
765
766
767
768
769
770
771
772
773
774
775
776
777
778
779
779
780
781
782
783
784
785
786
787
788
789
789
790
791
792
793
794
795
796
797
798
799
800
801
802
803
804
805
806
807
808
809
809
810
811
812
813
814
815
816
817
818
819
819
820
821
822
823
824
825
826
827
828
829
829
830
831
832
833
834
835
836
837
838
839
839
840
841
842
843
844
845
846
847
848
849
849
850
851
852
853
854
855
856
857
858
859
859
860
861
862
863
864
865
866
867
868
869
869
870
871
872
873
874
875
876
877
878
879
879
880
881
882
883
884
885
886
887
888
889
889
890
891
892
893
894
895
896
897
898
899
900
901
902
903
904
905
906
907
908
909
909
910
911
912
913
914
915
916
917
918
919
919
920
921
922
923
924
925
926
927
928
929
929
930
931
932
933
934
935
936
937
938
939
939
940
941
942
943
944
945
946
947
948
949
949
950
951
952
953
954
955
956
957
958
959
959
960
961
962
963
964
965
966
967
968
969
969
970
971
972
973
974
975
976
977
978
979
979
980
981
982
983
984
985
986
987
988
989
989
990
991
992
993
994
995
996
997
998
999
1000



DEDICATIO JESU CHRISTO, UNIGENITO DEI FILIO.

Pacifico Regi, voveo mea Carmina Christo,
 Melchisedech (*) verus qui sine fine manet:
 Quandoquidem terris optatae munera pacis
 Attulit; & justi servat ubique decus.
 O! tibi devotum, quæso, dulcissime Jesu,
 Plasmatis exigui suscipe mentis opus.
 Tu pietas omnis, vilem ne sperne ministrum,
 Qui tibi, pro meritis, tradita cuncta dicat:
 Ausus enim quanquam sim cantica vertere vatis,
 Flamine quem sacro novimus esse citum;
 Te duce, nil vani redolebunt scripta voventis;
 Prorsus at eloquio consona quæque tuo.
 Ergo fave cæptis, nostro succurre labori;
 Te mihi da vero lumine posse frui.

(*) Id est Rex justitiae.

MONITUM.

SPECIMEN istud offert præsentis Opusculi Author, integrum Opus in lucem proferre paratus; si tamen Eruditis visum fuerit Typis mandari dignum, & sacrarum Litterarum studiosis minimè incongruum: mavult enim fidus Interpres, quâm bonus Poëta haberi. Ne quis velim temporum mutatione, maximè verò de præterito in futurum conversione offendatur; si fortè Hebraicæ linguae, quâ primitùs conscripti fuerunt Psalmi, consuetudinem non calleat, in quâ tempora persæpè mutantur, & futura per præteritum efferuntur: id siquidem Prophetis est usitatum, ut futura quæ sunt, jam prævidant effecta, ac de iis, tanquam de præteritis loquantur.

Præfati autem Operis inscriptio hæc est:

PSALTERIUM DAVIDICUM,

V U X T A Vulgatam Editionem, Carmine translatum, in qua quidem translatione major fuit habita ratio utilitatis, quâm elegantia: in ea quippe obscura & difficiliora loca dilucide & aperte, ex Patrum & Interpretum sententia, exponuntur, interpositâ identidem brevi quâdam Paraphrasi, insertis pariter Annotationibus nonnullis. Præmittitur etiam Psalmi cuiusque versioni explicatio tituli, cum ejusdem Psalmi arguento. Quæ omnia ex probatis Authoribus, nec non ex hebreo & græco textu deprompta sunt: ac proinde Commentarioli vices utcumque gerunt.



PSALMI

CENTESIMI DECIMI OCTAVI

TITULUS ET ARGUMENTUM.

ALLELUIA. *Id est, laudate Dominum.*

Hic Psalmus, qui omnes alios longitudo
ne superat, est totus moralis, &
hortatorius ad vitam secundum legem Do-
mini instituendam, de qua in omnibus ferè
Versiculis fit mentio, quamvis sub diversis
nominibus. Dividitur in viginti duas par-
tes, juxta numerum litterarum Alphabeti
Hebraici: primi octo versus incipiunt sin-
guli à prima littera hujus Alphabeti;
sequentes octo à secunda, & sic deinceps,
ita ut octies totum Alphabetum repe-
tatur. Hujus rei causam non aliam esse
arbitratur Bellarminus, nisi ad memoriam
adjuvandam, cum hic Psalmus memoriter
recitandus, vel concinendus esset, dum
Populus Judaicus ter in anno ex omni parte
ad Tabernaculum vel Templum ascenderet.
Quo finito Psalmo, sequuntur Psalmi gra-

duales , qui in ascensione graduum Tabernaculi seu Templi caneabantur. Argumentum hujus Psalmi (cujus Authorem plerique existimant esse Davidem , quanquam eum principiorum discussorum Authores cum Calmeto , Danieli assignent , & ad captitatem Babyloniam valde probabiliter referant cum Origene , Theod. Heracl. antiquo Paraphraste græco , & vener. Beda ;) Argumentum , inquam , est encomium Legis divinæ , & exhortatio ad eam servandam. Sed interim admiscentur varii affectus , & precationes ad Deum.





P S A L M U S
CENTESIMUS DECIMUS OCTAVUS,
Beati immaculati in via, &c.

OCTONARIUS PRIMUS.

A L E P H.

- 1 **B**EATI immaculati in via : qui ambulant in lege Domini.
 - 2 Beati qui scrutantur testimonia ejus : in **toto** corde exquirunt eum.
 - 3 Non enim qui operantur iniquitatem , in viis ejus ambulaverunt.
 - 4 Tu mandasti mandata tua custodiri nimis.
 - 5 Utinam dirigantur viæ meæ , ad custodiendas justifications tuas.
 - 6 Tunc non confundar , cùm perspexero in omnibus mandatis tuis.
 - 7 Confitebor tibi in directione cordis , in eo quòd didici judicia justitiae tuæ.
 - 8 Justificationes tuas custodiam : non me derelinquas usqueaque.
-

V E R S I O.

- 1 **O** ! nimiùm felix , sceleris sine labे viator ,
Divinæ Legis qui studet ire viam.
- 2 Cœlestis placiti felix scrutator amicus ,

- Qui superum totâ mente requirit herum.
 3 Quisquis enim demens actus operatur iniquos ,
 Hunc paret ipsius deseruisse vias.
 4 Tu, Deus alme Parens, Cœli moderator & orbis,
 Nos tua mandasti iussa tenere nimis. (a)
 5 O ! utinam certo doceas me pergere calle ;
 Juribus ut sacrî usquè manere queam.
 6 Tum procul aufugiet pavida confusio mentis ,
 Cùm tua perfectè dicta secutus ero.
 7 Juverit inde tibi recto benedicere corde ,
 Justicias dederis quòd mihi nosse tuas.
 8 Has igitur quovis servabo tempore leges ;
 Tu non omnino (b) plasma relinque tuum.

(a) Id est diligentissimè. Genebr. Fortiter & attente. Hier.

(b) Bellarm. cum Geneb. Usque ad animæ & fidei periculum.
 D. Hil.

OCTONARIUS II.

B E T H.

- 9 I N quo corrigit adolescentior viam suam ? in custo-
 diendo sermones tuos.
 10 In toto corde meo exquisivi te : ne repellas me à manda-
 tis tuis.
 11 In corde meo abscondi eloquia tua : ut non peccem tibi.
 12 Benedictus es, Domine : doce me justificationes tuas.
 13 In labiis meis , pronunciavi omnia iudicia oris tui.
 14 In via testimoniorum tuorum delectatus sum , sicut in
 omnibus divitiis.
 15 In mandatis tuis exercebor : & considerabo vias tuas.
 16 In justificationibus tuis meditabor : non obliviscar ser-
 mones tuos.

VERSIO

VER S I O.

- 9 **Q**UÌ potis est pravos juvenis co[m]ponere mores?
In testamento fidus agendo tuo.
- 10 Te , Deus ô ! clemens , totis exquiro medullis ;
Hinc me non finito (a) solvere jussa tua.
- 11 Cordis in occulto divinam servo loquela ;
Ne libeat Numen lædere fortè tuum.
- 12 Tu Dominus rerum , toto celebrandus in orbe ,
Sacratae legis dogmata pande mihi.
- 13 Talia simplicibus corām (b) pronuncio labris ;
Quippe quòd hæc sacro fuderis ore tuo.
- 14 Totus in his versans , totâ congaudeo mente ,
Ut solet immensas inter avarus opes.
- 15 Cœlica jussa libens crebrò meditabor ; & ipsas ,
Queis patriâ pulsos ducis ad Astra , vias.
- 16 Lex tua semper erit vigilis meditatio sensus ;
Absit ut internâ decidat aure mei.

(a) Calmet. cum Bellarm.

(b) Iid. ex Hebr.

OCTONARIUS III.

G H I M E L.

- 17 **R**etribue servo tuo , vivifica me : & custodiam ser-
mones tuos.
- 18 Revela oculos meos : & considerabo mirabilia de lege
tua.
- 19 Incola ego sum in terra : non abscondas à me mandata
tua.
- 20 Concupivit anima mea desiderare justificationes tuas , in
omni tempore.

- 21 Incepasti superbos : maledicti qui declinant à mandatis tuis.
- 22 Ausier à me opprobrium , & contemptum : quia testimonia tua exquisivi.
- 23 Etenim federunt Principes , & adversum me loquebantur : servus autem tuus exercebatur in justificationibus tuis.
- 24 Nam & testimonia tua meditatio mea est : & consilium meum justificationes tuæ.

V E R S I O .

- 17 O ! Pater omnipotens , vitam mihi redde benignus ;
Quò tua ritè sequi verba tremenda queam. (a)
- 18 tu dignare mei tenebras expellere cordis ;
Ut detur legis mira videre (b) tuæ.
- 19 Heu ! Miser in terris maneo peregrinus & hospes ;
Quæ dederis , numquàm ícita reconde mihi.
- 20 Tempora quotquot eunt , animus desiderat æger, (c)
Ut sacra iussorum sunt manifesta sibi.
- 21 Colla superba (d) teres ; jugis maledictio cædet ,
Qui tibi dementes sponte subesse negant.
- 22 Quandoquidem vobis studeo per cuncta placere ;
In nos jactatum , quàm citò tolle probrum.
- 23 Confedère Duces , contra me dira loquentes ;
Nec dubitant nobis multa parare mala :
- Ast ego (e) nil voces curans , aut sensa malorum ,
Sollicitus dictis pergo vacare tuis.
- 24 Hæc sunt namque meæ dulcis (f) meditatio mentis ;
Sunt mihi vivendi certus ubique modus.

(a) Bellarm. (b) Id est , intelligere. Genebr. (c) Ex Hebræo.

(d) Babylonios , & Apostatas Judæos. Calmet.

(e) Daniel cum sociis. Idem. (f) Ex Hebr.

OCTONARIUS IV.

DALETH.

- 25 **A** Adhæsit pavimento anima mea : vivifica me secundum verbum tuum.
- 26 Vias meas enunciavi, & exaudisti me : doce me justificationes tuas.
- 27 Viam justificationum tuarum instrue me : & exercebor in mirabilibus tuis.
- 28 Dormitavit anima mea prætædio : confirmata me in verbis tuis.
- 29 Viam iniquitatis amove à me : & de lege tua miserere mei.
- 30 Viam veritatis elegi : judicia tua non sum oblitus.
- 31 Adhæsi testimoniosis tuis , Domine : noli me confundere.
- 32 Viam mandatorum tuorum cucurri , cùm dilatasti cor meum.

VERSO.

- 25 EN prostratus humi jacco , mortique propinquus ; (a) Tu mihi des vitam , sit data salva fides.
- 26 Qui pius audisti miserum sua facta gementem , Ad te conversum jura sacrata doce. (b)
- 27 Quid tibi sit placitum , clemens ostende roganti ; Admiranda tuî tum meditabor ovans.
- 28 Intima sunt cordis nimio confecta (c) dolore ; Præsidium firmum sit mihi pacta (d) fides.

(a) Auth. Princ. discuss. cum Genebr. & Calmet.

(b) Bellarm. cum Patribus.

(c) Ex Hebr.

(d) Auth. Princ. discuss.

- 29 Gressibus à nostris calles averte dolosos (a) ;
 Me tua, fac miserans, lex ubicumque regat. (b)
- 30 Constitui rectam solers traducere vitam ; (c)
 Hinc nobis animo jussa reposta manent.
- 31 Mandatis hærere tuis super omnia juvit ;
 Amplius haud turpis contegat ora rubor.
- 32 Ut mea perfundes suavi dulcedine corda ,
 Tunc erit in vestris sponte volare viis. (d)

(a) Ex Hebr.

(b) Bellarm.

(c) Idem.

(d) Authores Principiorum discussorum.

OCTONARIUS V.

H E.

- 33 L Egem pone mihi , Domine , viam justificationum
 tuarum : & exquiram eam semper.
- 34 Da mihi intellectum , & scrutabor legem tuam : & custo-
 diam illam in toto corde meo.
- 35 Deduc me in semitam mandatorum tuorum : quia ipsam
 volui.
- 36 Inclina cor meum in testimonia tua ; & non in avaritiam.
- 37 Averte oculos meos , ne videant vanitatem : in via tua
 vivifica me.
- 38 Statue servo tuo eloquium tuum , in timore tuo.
- 39 Amputa opprobrium meum , quod suspicatus sum : quia
 judicia tua jucunda.
- 40 Ecce concupivi mandata tua : in æquitate tua vivifica
 me.



VERSO.

- 33 R Ex æterne! mihi tua sit perspecta (*a*) voluntas;
Hanc humili semper mente fovebo (*b*) libens.
- 34 Tu mihi lux esto, legem scrutabor anhelans;
Insuper & cautus, cordis ad ima premam.
- 35 Deprecor, Omnipotens! tua des præcepta
facebam: (*c*)
Nos juvat ipsorum trames ad Astra vehens.
- 36 Sint mihi, quæ mandas, peregrino sola voluptas;
Non ego mammonæ (*d*) captus amore ferar.
- 37 Lumina fac nostrâ rebus sint clausa caducis;
Inque tua dones vivere posse via.
- 38 Ipse meo dîam statuas in corde loquela (*e*);
Sit mihi mens casto ducta timore tui.
- 39 Quippe quod interno sapiunt tua jura palato;
Quod valdè timui (*f*), da procul esse probrum.
- 40 Hæc, Deus, ut nosti, toto de corde requiro;
Tu summè justus, vivere redde mihi. (*g*)

[*a*] Hebr. doce me viam statutorum tuorum.

[*b*] Id est, custodiam. Calm. cum Geneb. ex Heb.

[*c*] Bellarm. [*d*] Chald. id est, pecuniae.

[*e*] Id est, legem Bell. cum Aug.

[*f*] Ex Hebr. [*g*] Authores Pr. discuss.

OCTONARIUS VI.

V A U.

- 41 E T veniat super me misericordia tua, Domine: salu-
tare tuum secundum eloquium tuum.
- 42 Et respondebo exprobrantibus mihi verbum: quia speravi
in sermonibus tuis.

- 43 Et ne auferas de ore meo verbum veritatis usquequaque :
quia in judiciis tuis supersperavi.
- 44 Et custodiam legem tuam semper , in seculum & in secu-
lum seculi.
- 45 Et ambulabam in latitudine: quia mandata tua exquisivi.
- 46 Et loquebar de testimoniorum tuis in conspectu Regum ; &
non confundebar.
- 47 Et meditabam in mandatis tuis , quae dilexi.
- 48 Et levavi manus meas ad mandata tua , quae dilexi : &
exercebar in justificationibus tuis.

V E R S I O .

- 41 M E super , alme Parens , pietas descendat ab
alto ;
Promissam misero mitte salutis opem.
- 42 Interea cuivis referam malè probra canenti :
In Domini verbis (a) spes mihi certa manet.
- 43 Fac igitur promiam stabili de pectore verum : (b)
In Domino , dicens , spes mihi tota jacet.
- 44 Divinam statui legem servare per ævum ,
Nec temerare datam , tempus in omne , fidem.
- 45 Te duce , perdiscam (c) læto procedere gressu ;
Jussa quod exquo , simplice corde , tua.
- 46 Regibus en coram nobis patefacta loquemur ;
Sed neque narrandi tūm pudor ullus erit.
- 47 Quin mandata vigil constanti mente revolvam ;
His parere juvat , quem pius urget amor.
- 48 Hinc erit & vitam rectâ componere normâ ;
Et legis numquam non meminisse tuæ.

[a] Id est , promissis. A. P. D.

[b] Bellarm.

[c] Calmet. cum S. Hieron. & optimis interp. hunc vers. & tres
sequentes ex Hebr. vertit per futurum , quoniam id exigit oratio-
nis series.

OCTONARIUS VII.

Z A I N.

- 49 **M**Emor esto verbi tui servo tuo , in quo mihi spem dedisti.
- 50 Hæc me consolata est in humilitate mea : quia eloquium tuum vivificavit me.
- 51 Superbi iniquè agebant usquequaque : à lege autem tua non declinavi.
- 52 Memor fui judiciorum tuorum à seculo , Domine : & consolatus sum.
- 53 Defectio tenuit me , pro peccatoribus dereliquentibus legem tuam.
- 54 Cantabiles mihi erant justifications tuæ , in loco peregrinationis meæ.
- 55 Memor fui nocte nominis tui , Domine : & custodivi legem tuam.
- 56 Hæc facta est mihi : quia justifications tuas exquisivæ.

V E R S I O.

- 49 **S**Uppliance cum servo fidei remissa scere pactæ ,
In te quâ nostras spes agitare jubes.
- 50 Hoc est , alme Parens , afflicto dulce levamen ;
Quod tua sunt vitam verba datura novam. (a)
- 51 Illulere (b) mihi gratis , & multa superbi s
Legis at expavi devius ire tuæ.
- 52 Judiciis (c) attendo tuis , ab origine mundi ;
Hinc mihi depresso mite juvamen adest.

[a] A. P. D. cum Calmet. [b] Geneb. ex Hebr.

[c] Id est , quæ ab initio seculi exercuisti , exaltans humiles , & superbos deprimens. Ita Bellarm.

- 53 Me gravis invadit moesti defectio cordis,
Pravos cernentem solvere jura Dei.
- 44 Hæc juvat assidue docili pervolvere mente;
Hæc mihi carmen erunt, dum peregrinus agam.
- 55 Numinis imo tui tacita de nocte recordor;
Ac libet edictis invigilare tuis.
- 56 Hic mihi fructus ineſt misero, quod sedulus
omnes (a)
- Justitias toto corde requiro tuas.

[a] Auth. Pr. discuss.

OCTONARIUS VIII.

H H E T.

- 57 P ortio mea, Domine: dixi custodire legem tuam.
- 58 P deprecatus sum faciem tuam in toto corde meo:
miserere mei secundum eloquium tuum.
- 59 Cogitavi vias meas: & converti pedes meos in testimonia
tua.
- 60 Paratus sum, & non sum turbatus: ut custodiā mandata
tua.
- 61 Funes peccatorum circumplexi sunt me: & legem tuam
non sum oblitus.
- 62 Media nocte surgebam ad confitendum tibi, super judicia
justificationis tuae.
- 63 Particeps ego sum omnium timentium te, & custodien-
tium mandata tua.
- 64 Misericordia tua, Domine, plena est terra: justifications
tuas doce me.

V E R S I O.

- 57 O Mnia, summe Deus, nobis tu sufficis unus;
Firmiter hinc statui verba tenere tua. (a)

[a] Bellar.

- 58 Ad te confugio , toto de pectore clamans ;
 Ut promisisti (a), sic miserator ades.
- 59 In quibus erravi , perpendi cuncta viarum ; (b)
 Convertique meos ad tua iussa pedes (c).
- 60 Dogmatibus factis ultrò parere paratum ,
 Te Duce , nil poterit detinuisse moræ . (d)
- 61 Me circùm validi reprobum stant undique funes ;
 Nec tamen ex animo lex temerata cadet.
- 62 Surgere quin potius media de nocte libebit ,
 Pronus adorando jura tremenda Dei.
- 63 Fœdere complector cunctos te ritè colentes (e),
 Quos juvat edictis usquè vacare tuis.
- 64 Qui pietatis opes totum diffundis in orbem (f),
 Quæ justos faciunt , me sacra dicta doce.

[a] Genebr. (b) Auth. Pr. discuss. cum Hil. & Ambr.

(c) Id est , affectus. (d) Bell. ex Hebr. (e) Sic ferè ex Hebre.

[f] J. P. L.

OCTONARIUS IX.

T E T H.

- 65 **B**onitatem fecisti cum servo tuo , Domine , secundum
 verbum tuum.
- 66 Bonitatem , & disciplinam , & scientiam doce me : quia
 mandatis tuis credidi.
- 67 Priusquam humiliarer , ego deliqui : propterea eloquium
 tuum custodivi.
- 68 Bonus es tu : & in bonitate tua doce me justificationes
 tuas.
- 69 Multiplicata est super me iniquitas superborum : Ego au-
 tem in toto corde meo scrutabor mandata tua.
- 70 Coagulatum est sicut lac cor eorum : Ego verò legem
 tuam meditatus sum.

- 71 Bonum mihi quia humiliasti me : ut discam justificationes tuas.
 72 Bonum mihi lex oris tui , super millia auri & argenti.
-

V E R S I O .

- 65 M E, D e u s , i m m e r i t u m d o n i s c u m u l a r e s u p e r n i s
 Dignaris miserans , pollicitisque manens. (a)
- 66 Sint bonitas , quæso , pædia (b) , scientia mecum :
 Nanque tuis rectam vocibus addo fidem.
- 67 Me prius errantem compressit turba malorum ;
 Hinc damno didici cautior esse meo. (c)
- 68 Tu bonus es valdè , nec non per cuncta suavis ;
 Hinc , ne delinquam , me facienda doce.
- 69 Callida concinnant in nos commenta superbi ; (d)
 Ast ego sollicitus dogmata servo [e] data.
- 70 Candida ceu lactis durescit massa coacti ,
 His tumidum pectus prosperitate riget ; [f]
 Intereà legem tacitâ dùm mente revolvo ,
 Cor flectit pietas , asperitasque fugit.
- 71 O ! me felicem , per tanta pericla probatum ,
 Ut placitum fiat notius inde tuum.
- 72 Est mihi divinæ potior custodia legis ;
 Atque magis confert , quām bona cuncta soli.

(a) Genebr.

[b] Virtus prudentiæ , ex Bell. castigatio salutaris , ex Theodoret.

[c] Sic ferè Bell. [d] Genebr. ex Hebr. [e] Idem ex Hebr.

[f] Auth. Princip. discuss.



OCTONARIUS X.

J O D.

- 73 **M**anus tuæ fecerunt me , & plasmaverunt me : da mihi intellectum , & discam mandata tua.
- 74 Qui timent te videbunt me , & lætabuntur : quia in verba tua supersperavi.
- 75 Cognovi , Domine , quia æquitas judicia tua : & in veritate tua humiliasti me.
- 76 Fiat misericordia tua ut consoletur me , secundum eloquium tuum servo tuo.
- 77 Veniant mihi miserationes tuæ , & vivam : quia lex tua meditatio mea est.
- 78 Confundantur superbi , quia injustè iniquitatem fecerunt in me : Ego autem exercebor in mandatis tuis.
- 79 Convertantur mihi timentes te , & qui neverunt testimonia tua.
- 80 Fiat cor meum immaculatum in justificationibus tuis , ut non confundar.

V E R S I O .

- 73 **M**E vestrî finxere manus , formamque dedere ;
Fac sacra cœlesti lumine jussa sciām.
- 74 Qui te cunque timent , hilares me sæpè videbunt :
Spes etenim verbis stat mihi firma tuis.
- 75 Te , Deus , agnosco juris per cuncta tenacem ;
Tu me dejiciens , arbiter æquus agis.
- 76 Eia tuî pietas servum soletur egenum ;
Promissor fidus , nunc mihi prosper ades.
- 77 Fer pius auxilium , verâ [a] des vivere vitâ :
Semper enim legis verba revolvo tuæ.

[a] Nempe beatâ & sempiternâ. Bellarm. cum S. Aug.

- 78 Quos gratis nocuisse juvat , confunde superbos ;
 Promptior & quidquid jusseris, inde sequar. (a)
 79 Qui te mente colunt, conjungant foedera mecum ;
 Nutibus & docti corde subesse tuis.
 80 Da , tibi parendo , maculâ sim liber ab omni ,
 Ne mea confundens occupet ora pudor.

[a] Bellarm.

OCTONARIUS XI.

C H A P H.

- 81 D Efecit in salutare tuum anima mea : & in verbum
 tuum supersperavi.
 82 Defecerunt oculi mei in eloquium tuum , dicentes :
 quando consolaberis me ?
 83 Quia factus sum sicut ute in pruina : justificationes tuas
 non sum oblitus.
 84 Quot sunt dies servi tui : quando facies de persequentibus
 me judicium ?
 85 Narraverunt mihi iniqui fabulationes : sed non ut lex
 tua.
 86 Omnia mandata tua veritas : iniquè persecuti sunt me ,
 adjuva me.
 87 Paulominus consummaverunt me in terra : Ego autem
 non dereliqui mandata tua.
 88 Secundùm misericordiam tuam vivifica me : & custo-
 diam testimonia oris tui.

V E R S I O.

- 81 A Nxia mens languet , dulcem sperando
 salutem [a] ;
 Pollicitis freto spes mihi certa viget.

[a] Id est libertatem A. P. D. Sed piè omnino & verè S. Aug. to-
 tum Octon. Ecclesiæ Christum expectanti , & Sanctis Martyr. ac-
 commodat.

- 82 Dum miser expecto , lumen tabescit utrumque ;
Jugiter & clamat : jam , Paraclete , veni.
- 83 Pellis ut arescit , gelidis exposta pruinis ,
Pectus item siccant aspera fata meum :
At licet oforum telis confixus inquis ;
Justa , nec afflictus , jussa relinquo tu*ī*.
- 84 Quò , Deus , usque fines tantos me ferre dolore s ? (a)
Quando graves nobis debita poena premet ?
- 85 Plurima vana mihi narrarunt verba icelesti ;
At verò legi consona nulla tuæ . [b]
- 86 Omnia , quæ mandas , verissima novimus esse ;
Injustè presso cœlitùs affer opem.
- 87 Ad nihilum fermè terrâ sum factus in ista ;
Nec tamen hinc libuit solvere dicta tua.
- 88 Te precor , alme Parens , vitam concede benignus ,
Quà valeam scitis ritè vacare sacrís . (c)

(a) A. P. D. cum Genebr. & Bellarm. (b) Ambr. & Euthymius.
(c) Bellarminus.

OCTONARIUS XII.

L A M E D.

- 89 I N æternum , Domine , verbum tuum permanet in
Cœlo.
- 90 In generationem & generationem veritas tua : fundasti
terram , & permanet.
- 91 Ordinatione tuâ perseverat dies : quoniam omnia serviunt
tibi.
- 92 Nisi quòd lex tua meditatio mea est : tunc fortè periſſem
in humilitate mea.
- 93 In æternum non oblifiscar justificationes tuas : quia in
ipsis vivificasti me.
- 94 Tuus sum Ego , salvum me fac : quoniam justificationes
tuas exquisivi .

95 Me expectaverunt peccatores , ut perderent me : testimonia tua intellexi.

96 Omnis consummationis vidi finem : latum mandatum tuum nimis.

V E R S I O .

89 P Ermaner in Cœlis sermo (a) tuus omne per ævum ;

Nec potis est placitum quis prohibere Dei.

90 Tu quoque perstabis per secula cuncta fidelis, (b)
Cœlitùs ut factum permanet usquè solum.

91 Te moderante , dies cursu persistit anhelo : (c)
Omnia namque tuâ sub ditione tenes.

92 Ni sacra lex nostræ fieret meditatio mentis ,
Fortè nimis presso (d) non foret ulla salus.

93 Semper inoblitio repetam tua pectore verba ;
Quòd sine fine dabunt vivere posse mihi. (e)

94 Cum tibi sim totus , miserandum protege servum ;
Quidquid enim mandas , corde lubente sequor.

95 Ecce meam querunt hostes celerare ruinam ;
Me tamen oblectat dogmata nosse tua. (f)

96 Optima quæque suas vidi contingere metas ;
Mandatum verò fine carere tuum. (g)

(a) Id est , decretum . Genebr. (b) Bellarm. (c) Idem .

(d) A. P. D. cum D. Hier. ex Hebr.

(e) Vitam gratiæ augendo , & vitam gloriæ promittendo . Bellarm.

(f) Euthym. (g) Calmet. cum Genebr.



OCTONARIUS XIII.

M E M.

- 97 **Q**UAM dilexi legem tuam, Domine! tota die
meditatio mea est.
- 98 Super inimicos meos prudentem me fecisti mandato tuo;
quia in æternum mihi est.
- 99 Super omnes docentes me intellexi: quia testimonia tua
meditatio mea est.
- 100 Super senes intellexi: quia mandata tua quæsivi.
- 101 Ab omni via mala prohibui pedes meos: ut custodiam
verba tua.
- 102 A iudiciis tuis non declinavi: quia tu legem posuisti
mihi.
- 103 QUAM dulcia fauibus meis eloquia tua, super mel ori
meo!
- 104 A mandatis tuis intellexi: propterea odivi omnem viam
iniquitatis.

V E R S I O.

- 97 **Q**UAM dilecta mihi sacræ custodia legis!
Hanc, Deus, assiduâ volvere mente juvat.
- 98 Hinc datur adversum nobis prudentia major;
Quod jussus reputem, nocte dieque, tuos.
- 99 Omnibus hinc præsto, qui me docuere, Magistris;
Pectore quod nostro lex meditata sedet.
- 100 Quin & doctrinâ senibus præcello peritis;
Dulcia quod vigilans scita requiro tui.
- 101 Quolibet à pravo deflexi tramite gressus;
Quod tua sollicitus verba tenere queam.
- 102 Desuper allatæ sector vestigia legis,
Hanc penitus noscens te posuisse mihi,

- 103 Quàm placet interius dìam servare loquèlam !
Melle mihi grato dulciùs ista sapit. (a)
104 Me tua jussa , Deus , fecerunt mente sagacem ;
Hinc odio mendax (b) est via quæque mihi.

(a) Bellarm. (b) Ex Heb.

OCTONARIUS XIV.

N U N.

- 105 **L**ucerna pedibus meis verbum tuum , & lumen se-
mitis meis.
106 Juravi , & statui custodire judicia justitiae tuæ.
107 Humiliatus sum usquequaque , Domine : vivifica me se-
cundùm verbum tuum.
108 Voluntaria oris mei beneplacita fac , Domine : & judi-
cia tua doce me.
109 Anima mea in manibus meis semper : & legem tuam
non sum oblitus.
110 Posuerunt peccatores laqueum mihi : & de mandatis
tuis non erravi.
111 Hæreditate acquisivi testimonia tua in æternum : quia
exultatio cordis mei sunt.
112 Inclinavi cor meum ad faciendas justificationes tuas
in æternum , propter retributionem.

V E R S I O.

- 105 **L**Ex tua , lux radians , recto procedere gressu
Perdocet ; & calles dirigit ipsa meos.
106 Firmiter en statui jurans , servare fidelis ,
Quæ , sapiens judex , perficienda jubes.
107 Tristibus ærumnis presso (a), nimioque dolore ,
Promissam vitam (b) tu mihi redde potens.

(a) Genebr. & Bellarm. (b) Et libertatem. Calmet.

108 Sint tibi grata , Deus , spontanea vota la-
brorum (a) ;

Tu summè verax , me tua jura doce.

109 Heu ! mea perpetuis agitatur vita periclis ; (b)
Nec data lex animo decidit inde meo.

110 Supposuere meis scelerati (c) retia plantis ;
At vestris renui jussibus esse procul.

111 Portio cara mihi perstabunt omne per ævum ;
Insuper & cordis gaudia blanda mei.

112 Omnibus hæc statui vitæ servare diebus ;
Maxima quòd (d) merces tu mihi semper eris.

(a) Id est , labiis meis expressa.

(b) Calmet. Cum Bellarm. & Genebr.

(c) Babylonii. Calmet.

(d) Motivum secundarium , ut observat idem.

OCTONARIUS XV.

S A M E C H.

113 I Niquos odio habui : & legem tuam dilexi.

114 I Adjutor , & susceptor meus es tu : & in verbum tuum
supersperavi.

115 Declinate à me maligni : & scrutabor mandata Dei
mei.

116 Suscipe me secundum eloquium tuum , & vivam : &
non confundas me ab expectatione mea.

117 Adjuva me , & salvus ero : & meditabor in justifica-
tionibus tuis semper.

118 Sprevisti omnes discedentes à judiciis tuis : quia injusta
cogitatio eorum.

119 Prævaricantes reputavi omnes peccatores terræ : ideo
dilexi testimonia tua.

120 Confige timore tuo carnes meas : à judiciis enim tuis
timui.

V E R S I O.

113 **T**U, Deus, haud nescis, homines detestor
iniquos (a);

Divinæ verò legis amore feror.

114 Tu clypeus nobis, sacrum tu solus asylum; (b)
Est simul in verbo spes mihi multa tuo.

115 Hinc procul este, mali; scelerum procul este
potentes;

Tumque mei satagam quærere (c) jussa Dei.

116 Vivere quo valeam, sponsor me protege fidus;
Spesque (d) retenta diù non sit inane mihi.

117 Auxilium præbe misero, solvamque catenas;
Juverit & placitis usquè vacare tuis.

118 Pro nihilo duces ultrò divina negantes:
Horum quippe dolus (e) commoda nulla
feret. (f)

119 Ex leges (g) reputans cunctos telluris iniquos,
Hinc ego cœlesti jugiter igne flagro.

120 Me, veluti clavis (h), casto confige timore:
Aspera nam cœpi verba (i) timere tua.

[a] Id est, iniquitatem illorum. Aug. & Hier.

[b] Ex Hebr.

[c] Ut ea custodiam. Genebr. ex Hebr.

[d] Obtinendæ libertatis. Calmet.

[e] Ex Hebr.

[f] Duguet.

[g] Id est, prævaricatores legis, saltem naturalis, scriptæ in cor-
dibus. Bellarm. cum S. Aug.

[h] Ex Græco 70.

[i] Quibus comminaris te perditum impios. Genebrardus.

OCTONARIUS XVI.

A I N.

- 121 **F**eci judicium & justitiam : non tradas me calumniantibus me.
- 122 Suscipe fetrum tuum in bonum : non calumnientur me superbi.
- 123 Oculi mei defecerunt in salutare tuum : & in eloquium justitiae tuae.
- 124 Fac cum servo tuo secundum misericordiam tuam : & justificationes tuas doce me.
- 125 Servus tuus sum ego : da mihi intellectum , ut sciam testimonia tua.
- 126 Tempus faciendi , Domine : dissipaverunt legem tuam.
- 127 Ideò dilexi mandata tua , super aurum & topazion.
- 128 Propterea ad omnia mandata tua dirigebar : omnem viam iniquam odio habui.

V E R S I O.

- 121 **E**N mea justitiae fervent præcordia zelo ;
Non me permittas hostibus esse jocum.
- 122 Da tibi devinctum bonitatis pignus habere ; (a)
Contra nos quidquam nemo superbus agat.
- 123 Lumina fessa tuam pergunt sperare salutem ;
Certa tamen paetam (b) posse videre fidem.
- 124 Fac mecum miserans, precibus moveare clientis;
Justitiasque tuas funditus ipse doce.
- 125 Sum tibi servus ego caræ genitricis ab alvo ;
Da tua perfectè dogmata nosse queam. (c)

[a] A. P. D. ex Hebr.

[b] Id est, effectum promissionis de recuperanda libertate. Calmet.
De Messia venturo. Hil. Ambr. Hier. & Aug. [c] Bellarm.

- 126 Juste Deus vindicta, aderit jam tempus agendi (a);
 Lex tua despicitur, sub pedibusque jacet.
- 127 Illius interea Sancto dederat amore,
 Nil reputans aurum, quidquid & orbis habet.
- 128 Hanc ideo promptus totam servare fategi; (b)
 Imò detestor quidquid iniqua docet.

[a] Vindictam & ultiōnem de iis, qui legem tuam violent & evertunt. Chrys. apud Genebr.

[b] Bellarminus.

OCTONARIUS XVII.

P H E.

- 129 **M**irabilia testimonia tua: ideo scrutata est ea anima mea.
- 130 Declaratio sermonum tuorum illuminat: & intellectum dat parvulis.
- 131 Os meum aperui, & attraxi spiritum: quia mandata tua desiderabam.
- 132 Aspice in me, & miserere mei, secundum judicium diligentium nomen tuum.
- 133 Gressus meos dirige secundum eloquium tuum: & non dominetur mei omnis injustitia.
- 134 Redime me à calumniis hominum; ut custodiam mandata tua.
- 135 Faciem tuam illumina super servum tuum: & doce me iustificationes tuas.
- 136 Exitus aquarum deduxerunt oculi mei: quia non custodierunt legem tuam.



VERSO.

- 129 **S**unt miranda nimis, per te quotacumque
jubentur ;
Talia scrutantem [a] me labor usquè tenet.
- 130 Declarata pias perfundent lumine mentes ;
Notitiam rudibus simplicibusque [b] dabunt.
- 131 Vota tibi pando mea ; nec non totus anhelo, [c]
Valdius exoptans dogmata nosse tua.
- 132 Aspice me clemens ; illâ pietate gubernat,
Quâ tibi devinctis dexter adesse soles. [d]
- 133 Lex tua me cunctos doceat componere gressus ;
Semper & impedit ne quid iniquus agam. [e]
- 134 Omnipotens ! hominum voces compescit mo-
lestas ; [f]
Quò tua tranquillum jussa fovere juvet. [g]
- 135 Me tibi devotum placato respice vultu ; [h]
Lumine transfuso , fac data jussa sequar. [i]
- 136 Manârunt oculis lacrymarum flumina nostris ;
Quòd leges ultrò contemerâre [k] tuas.

[a] Ad perficiendum. Genebr.

[b] Id est , humilibus. Aug.

[c] A. P. D.

(d) J. P. L. & Calmet. cum Bellarm. & Genebr.

(e) Bellarm.

(f) Genebr.

(g) Bellarm.

(h) J. P. L. cum Gençbr. & Calmet.

(i) Bellarm.

[k] Sub. homines. Genebr. cum Theodoreto & Euthymio. Aliter
Bellarm. cum Patribus Latinis.



OCTONARIUS XVIII.

T S A D E.

- ¶ 37 **J**ustus es, Domine : & rectum judicium tuum.
 ¶ 38 **J**andasti justitiam testimonia tua : & veritatem tuam nimis.
 ¶ 39 Tabescere me fecit Zelus meus : quia obliti sunt verba tua inimici mei.
 ¶ 40 Ignitum eloquium tuum vehementer : & servus tuus dilexit illud.
 ¶ 41 Adolescentulus sum ego, & contemptus : justificationes tuas non sum oblitus.
 ¶ 42 Justitia tua , justitia in æternum : & lex tua veritas.
 ¶ 43 Tribulatio & angustia invenerunt me : mandata tua meditatio mea est.
 ¶ 44 Æquitas testimonia tua in æternum : intellectum dam mihi, & vivam.

V E R S I O.

- ¶ 37 **J**ustus es omnino judex , & regula juris ;
 Hinc & judicii [a] lanx manet æqua tui.
 ¶ 38 Quæ nos cunque jubes animo servare volenti ,
 Hæc & justa nimis , veraque semper erunt. [b]
 ¶ 39 Me miserum zelus crudeli tabe peredit ;
 Verba quid adversi nil reputare tua.
 ¶ 40 Stat tibi pura fides [c] , aurum velut igne probatum [d] ;
 Servulus hinc vestri totus adhæret ei.

[a] Id est , decreti , mandati . Bellarm.

[b] Muis.

[c] Auth. Pr. discuss.

[d] Genebr. Bellarm. & Muis cum Sancto Hilario.

- 141 Quamlibet exiguis, populo despectus ab omni;
Ipse tamen placiti sum memor usquè tui.
- 142 Justus ab æterno, justus sine fine manebis;
Nec nisi mansurum lex tua novit opus. [a]
- 143 Undique dum gravium perstringit turba ma-
lorum,
Festivo jussus pectore volvo tuos.
- 144 Næ divina manent æquissima verba per ævum;
Tu rectam vitæ da mihi nosse viam.

(a) Genebrardus.

OCTONARIUS XIX.

K O P H.

- 145 C Lamavi in toto corde meo, exaudi me, Domine;
justificationes tuas requiram.
- 146 Clamavi ad te, salvum me fac; ut custodiam mandata
tua.
- 147 Præveni in maturitate, & clamavi: quia in verba tua
superesperavi.
- 148 Prævenerunt oculi mei ad te diluculo; ut meditarer
eloquia tua.
- 149 Vocem meam audi secundùm misericordiam tuam, Do-
mine: & secundùm judicium tuum vivifica me.
- 150 Appropinquaverunt persequentes me iniquitati: à lege
autem tua longè facti sunt.
- 151 Propè es tu, Domine: & omnes viæ tuæ veritas.
- 152 Initio cognovi de testimoniis tuis: quia in æternum
fundasti ea.

V E R S I O.

- 145 M E, Deus, ex totis orantem viribus audi;
Sermonesque tuos sedulus inde colam.

- 146 Ad te confugio clamans ; servator adesto ,
Ut mihi sint curæ dogmata cuncta tui.
- 147 Ad te vociferor , prævertens luminis ortum ; [a]
Permanet in verbis spes mihi tanta tuis.
- 148 Mane prius vigilo , quæ sol affulserit orbi ; [b]
Quo tua tum versem pectore dicta meo.
- 149 Palmas tendentis faciles da vocibus aures ;
Tu pius & verax [c] , vivere redde mihi. [d]
- 150 Osores nostri casum meditantur acerbum ; [e]
Interea legem deseruere tuam.
- 151 Tu mihi , summe Deus , miserans dignaris adesse ;
Te quoque veracem singula facta probant. [f]
- 152 A teneris annis firmata mente tenebam ;
Quod rata verba tui , tempus in omne forent. [g]

(a) A. P. D. cum Euthym. Genebr. & Bellarm.

(b) Idem.

(c) Bellarm.

(d) A. P. D.

(e) Sic ferè Bellarm.

(f) J. P. L. cum Bellarm.

(g) Idem cum Euthymio & Genebrando.

OCTONARIUS XX.

R E S H.

- 153 V Ide humilitatem meam , & eripe me : quia legem
tuam non sum oblitus.
- 154 Judica judicium meum , & redime me : propter elo-
quium tuum vivifica me.
- 155 Longè à peccatoribus salus : quia iustificationes tuas
non exquisierant.
- 156 Misericordiae tuæ multæ , Domine : secundum judicium
tuum vivifica me.
- 157 Multi qui persequuntur me , & tribulant me : à testimo-
niis tuis non declinavi.

- 158 Vidi prævaricantes , & tabescebam : quia eloquia tua
non custodierunt .
159 Vide quoniam mandata tua dilexi , Domine : in misericordia tua vivifica me .
160 Principium verborum tuorum veritas : in æternum omnia judicia justitiae tuæ .
-

V E R S I O .

- 153 M E nimis oppressum (a) videoas , & vincla
reslove :
Legis enim sacræ sum memor usquè tuæ .
154 Esto meæ tutor (b) causæ , sis ipse redemptor ;
Da fidus (c) vitâ liberiore frui .
155 Vera salus cunctis procul à peccantibus extat . (d)
Jussa quòd insani posthabuere tua .
156 Tu , Pater omnipotens , multùm miserefcis ab
ævo ;
Hinc , pro more tuo , vivere dede mihi .
157 Undique me trucium divexat turba virorum (e) ;
Nec libet inde tuas præteriisse vias .
158 Talia quin cernens , pœnis compungor acutis ,
Dum tua fœdifragos (f) spernere dicta juvat .
159 Ista , Deus , pendas quanto complectar amore ;
judice te placido , sit nova vita mihi .
160 Verum namque tuæ caput (g) est , & summa
loquelæ ;
Justum judicium (h) stat sine fine tuum .

[a] Ex Hebr . [b] Litiga litem meam . Ex eod . Hebr .

[c] Id est , propter fidem eloquii tui . [d] Genebr . & Muis .

[e] Hinc Babylonii , illinc falsi fratres . Calmet .

[f] Indœos infideles . idem .

[g] Ex Hebr .

(h) Quod est , ut piros maneat præmium , & impios pœna . Bellarm .
cum Sancto Augustino .

OCTONARIUS XXI.

S H I N.

- 161 **P** Rincipes persecuti sunt me gratis : & à verbis tuis
formidavit cor meum.
- 162 Lætabor ego super eloquia tua : sicut qui invenit spolia
multa.
- 163 Iniquitatem odio habui , & abominatus sum : legem au-
tem tuam dilexi.
- 164 Septies in die laudem dixi tibi , super judicia justitiae
tuæ.
- 165 Pax multa diligentibus legem tuam : & non est illis
scandalum.
- 166 Expeſtabam ſalutare tuum , Domine : & mandata tua
dilexi.
- 167 Custodivit anima mea testimonia tua : & dilexit ea ve-
hementer.
- 168 Servavi mandata tua , & testimonia tua : quia omnes
viæ meæ in conſpectu tuo.

V E R S I O.

- 161 **M**E tenuem gratis rigidi vexâre tyranni ;
Aſt ego verba timens contemerare tua. (4)
- 162 Non fecus ac victor ſpoliis ditatus opimis ,
Stando tuo latus foedere totus ero. (b)
- 163 Execror, atque gemens detestor quidquid iniqui;
Æſtuat at legis pectus amore tuæ.
- 164 Quâque die ſeptem vicibus (c) te laudibus orno,
Propter justitiae dogmata justa tuæ.
- 165 Qui ſacra jura fovent, ultrò pax multa ſequetur
Nec tales unquam moesta ruina manet.

[a] Auth. Pr. Disc. [b] Bellarm. & Genebr.

[c] Id eſt ſepiuſ Genebr. & alii paſſim.

- 166 Promissam juvit, Deus, expectare salutem (a) :
Quæ tu namque jubes, ipsa libenter ago.
- 167 Talia zelando studui servare fidelis,
Ipsorum nimio semper amore flagrans.
- 168 Jussibus ecce tuis nusquam parere recuso ;
Quippe quod in cunctis tu mihi testis ades.(b)

(a) Id est, libertatem. Auth. Pr. discuss.

(b) Bellarm. & Genebr.

OCTONARIUS XXII.

THAU.

- 169 **A** Propinquet deprecatio mea in conspectu tuo,
Domine: juxta eloquium tuum da mihi intellectum.
- 170 Intret postulatio mea in conspectu tuo : secundum elo-
quium tuum eripe me.
- 171 Eructabant labia mea hymnum, cum docueris me justi-
ficationes tuas.
- 172 Pronuntiabit lingua mea eloquium tuum : quia omnia
mandata tua æquitas.
- 173 Fiat manus tua ut salvet me: quoniam mandata tua
elegi.
- 174 Concupivi salutare tuum, Domine : & lex tua medita-
tio mea est.
- 175 Vivet anima mea, & laudabit te : & judicia tua adju-
vabunt me.
- 176 Erravi, sicut ovis quæ perire: quæ servum tuum, quia
mandata tua non sum obliitus.


VERSO.

- 169 **T**E, Deus, attingant prostrati vota clientis ;
Tu verax, calles da mihi nosse tuos.
Eij

- 170 Supplicibus pronas aures præbeto rogatis ;
Pollicitum servans , vincula solve mea.
- 171 Plurima continuæ modulabor cantica laudis,(a)
Cùm tua perfectè dogmata doctus ero.
- 172 Hæc etiam referam totum præcepta per or-
bem ; (b) Quòd tua lex sapiens nil nisi recta jubet.
- 173 Tu mihi de Cœlis dextram protende salubrem :
Præ cunctis étenim jussa facesto tua. (c)
- 174 Hoc peregrinus ego totis ex viribus opto ;
Meque juvat legem volvere mente tuam.
- 175 Vivere cùm dederis (d) , gratus celebrabo da-
torem ; Justitiæque tuæ dulce juvamen erunt.
- 176 Perdita sicut ovis , flecto per devia gressus ;
Sospes at omnino , te duce , semper ero :
Quære pius servum , nec non ad ovile referto ;
Non cadit ex animo lex tua sancta meo.

[a] Duguet. cum Genebr. ex Hebr. [b] Bellarm. cum S. Aug.
[c] Id. Bellarm. [d] Libertate donando. Calmet.





PSALMI
 GRADUALES,
 JUXTAVULGATAM EDITIONEM,
 CARMINE TRANSLATI.

PSALMI CENTESIMI DECIMI NONI
 TITULUS, ET ARGUMENTUM.
 CANTICUM GRADUUM.

ANTICA Graduum, vel potius Ascensio-
 num (ex Hebreo & Greco) numero sunt
 quindecim, quæ se ordine consequuntur usque
 ad Psalmum 134. exclusivè. Cur autem sic
 appellantur, omnino incertum est; probabilius tamen
 videtur ea tali inscriptione notari ab ascensionibus ab exi-
 lis, sumptâ allusione situi Ierusalem, ad quam omni
 ex parte ascendendum erat, quod esset collocata in mon-
 tibus. Et revera, inquit Genebrardus, hi omnes Psalmi
 pertinent ad captivitatem populi, & è captivitatibus libe-
 rationes. Sed quidquid sit de variis circa hoc opinionibus,

illud certum est, ait Bellarminus, ascensiones istas, sive de Babylone in Jerusalem, sive per 15. gradus Templi Salomonis, figuræ fuisse ascensionis Electorum, qui per gradus virtutum, ac præcipue charitatis, ascendunt de valle lacrymarum ad cœlestem Jerusalem; & de hac ascensione Spiritum Sanctum potissimum esse locutum. In isto autem Psalmo, hostium suorum dolos & violentiam, longumque exilium suum Deo conqueritur utraque Ecclesia, oratque ut ab iis eximatur, aiunt Princip. disc. Authores.

P S A L M U S C X I X.

- 1 **A**D Dominum, cùm tribularer, clamavi: & exaudi-
vit me.
- 2 Domine, libera animam meam à labiis iniquis, & à lingua
dolosa.
- 3 Quid detur tibi, aut quid apponatur tibi ad linguam do-
losam?
- 4 Sagittæ potentis acutæ, cum carbonibus desolatoriis.
- 5 Heu! mihi, quia incolatus meus prolongatus est: habitavi
cum habitantibus Cedar: multum incola fuit anima mea.
- 6 Cum his qui oderunt pacem, eram pacificus: cùm loque-
bat illis, impugnabant me gratis.


V E R S I O.

- 1 **R**Ebus in angustis, toto de pectore clamo
Ad Dominum; vanas nec finet esse preces.
- 2 Deprecor, Omnipotens! patriis me sedibus infer;
Absit & os mendax (*a*), plenaque lingua dolo.
- 3 Quis tibi, crudelis, pelagique ferocior undis;
Pestiferæ linguae quis tibi fructus (*b*) erit?

(*a*) Ex Hebr. (*b*) Calmet, cum Sacy & Duguet.

- Quid pejus valeas pravis apponere labris ; (a)
 Quà graviora simul vulnera ferre queas ?
 4 Non minùs inde feris, quàm tela potentis acuta, (b)
 Quæ sparso latè cuncta cruore rigant ;
 Torris & accensus , volvens incendia circùm ,
 Acribus & flaminis germina quæque vorans.
 5 Quanta diù patior , regnis heu ! pulsus avitis ;
 Undique bacchatur perfida turba virūm :
 Inter enim Cedar populos habitare coactus ,
 Quos neque relligio , nec movet ulla fidès ;
 Hinc probris , illinc salibus jactatus amaris ,
 Sic miser , in terris , hospes & exul ago.
 6 Osores inter pacis sermonibus utens
 Pacificis , dudùm bella cruenta fero.

(a) Bellarm. (b) Calmet, cum Bellarmino.



P S A L M U S C X X .

T I T U L U S , E T A R G U M E N T U M .

C A N T I C U M G R A D U U M .

Origenes , S. Chrysostomus , Theodoretus , antiquissimi Paraphrastes græcius , Beda , quibus libenter subscribit Calmet. Psalmum hunc considerant tanquam orationem Iudeorum in Babylone captivorum , reversionem suam & liberationem postulantium. Consolatur autem Propheta Iudeos Ierusalem citò ascensuros ; maximè verò spirituales peregrinos ad cœlestem patriam jugiter anhelantes , ac utrosque de divina protectione secures esse jubet.



P S A L M U S C X X.

- 1 **L** Evavi oculos meos in montes, unde veniet auxilium mihi.
- 2 Auxilium meum à Domino, qui fecit cœlum & terram.
- 3 Non det in commotionem pedem tuum, neque dormitet qui custodit te.
- 4 Ecce non dormitabit neque dormiet, qui custodit Israël.
- 5 Dominus custodit te, Dominus protectio tua, super manus dexteram tuam.
- 6 Per diem sol non uret te, neque luna per noctem.
- 7 Dominus custodit te ab omni malo: custodiat animam tuam Dominus.
- 8 Dominus custodiat introitum tuum, & exitum tuum; ex hoc nunc, & usque in seculum.

V E R S I O.

P O P U L U S D E I.

- 1 **A**nxius ad sacros converti Lumina montes,
Unde peroptatâ sum fruiturus ope.
- 2 Culmina qui Cœli, terræ qui condidit orbem,
Unicus hic nobis auxiliator erit.

P R O P H E T A.

- 3 Ipse per obscuros fataget te ducere calles,
Haud patiens gressus vel titubare tuos:
Te gravibus numquam tulerit succumbere culpis; (a)
Nec somnum capiet, qui tibi tutor adest.
- 4 Ecce vigil stabit, requie nec pectora solvet,
Israëla tuens, ac genus omne pium. (b)

(a) Bellarm. & Duguet.

(b) Euthym. cum S. Aug.

- 5 Te Dominus servat misericors , tibi dulce levamen;
 Semper & à dextris te , velut umbra, teget. (a)
 6 Lædere per lucem , solis prohibebitur æstus ;
 Et vaga , per noctem , luna nocere tibi. [b]
 7 Noxia quæque Deus superā depellet ab arce ;
 Providus ac vitæ noverit esse tuæ.
 8 Quò te cunque trahant passus , aut inde reducant ,
 Ipse tibi solers hæreat usquè comes :
 Quidquid ubique geras, Altissimus ipse faveto (c)
 Nunc , & in æternum prosper adesto tibi. (d)

[a] Bell. & Calmet. ex Hebr.

[b] Id est, nec prospéra, nec adversa nocebunt tibi. Ex D. Hier.

[c] Genebr. & Calmet. cum S. Chrys.

[d] Imper. pro fut. Duguetus & A. P. D.

PSALMUS CXXI.

TITULUS, ET ARGUMENTUM.

CANTICUM GRADUUM.

Perique Interpretes cum Origene, S. Chrys. & Theodoreto , quos sequitur Calmetus , hunc Psal. intelligunt de gaudio , quo affecti sunt Iudæi ob imminentem suam per Cyrum liberationem. Et hic est litteralis sensus veteris Israëlis. Sancti autem Hilarius , Ang. & Hieron. Cœlestis Ierusalem felicitati adaptant , quod de terrestri hic narrat Propheta. Optimè quidem ; sed non incongruè hoc idem de Ecclesia militante intelligunt Principiorum Discisorum Autores.

PSALMUS CXXI.

- 1** L Ætatus sum in his quæ dicta sunt mihi : in domum Domini ibimus.
- 2** Stantes erant pedes nostri , in atriis tuis , Jerusalem.
- 3** Jerusalem , quæ ædificatur ut civitas : cuius participatio ejus in idipsum .
- 4** Illuc enim ascenderunt Tribus , Tribus Domini , testimoniūm Israël ad confitendum nomini Domini .
- 5** Quia illic sederunt sedes in judicio , sedes super domum David .
- 6** Rogate quæ ad pacem sunt Jerusalem : & abundantia diligentibus te .
- 7** Fiat pax in virtute tua : & abundantia in turribus tuis .
- 8** Propter fratres meos , & proximos meos , loquebar pacem de te .
- 9** Propter domum Domini Dei nostri , quæsivi bona tibi .

V E R S I O .

- 1** D Icta mihi recolens , imo de pectore lator :
Nos populus , dudum patriis ejectus ab oris ,
Rite Deo votam citius veniemus in ædem .
- 2** Ante tuas iterum dabitur consistere portas (a) ,
Urbs ô ! præclaro pacis [b] de nomine dicta .
- 3** Hæc poleōs instar , cuius jam mœnia surgunt ,
Conditur ; & nexus perstat conjuncta perenni :
Vivis namque Sion(c)firmabitur usquè lapillis ; (d)
Junget honoratos dulcis concordia cives ;
Quin ollis fuerint communia dona per ævum .

[a] Ex Hebr. [b] Jerusalem interpretatur visio pacis .

(c) Arx civitatis Jerusalem , in qua erat Templum .

(d) Bellarm. altiori sensu .

- 4 Ex Tribubus cunctis illuc scandetur (*a*) , ut unum
Concelebrent Dominum , juxta promissa [*b*] Po-
tentis ,
Facta prius natis celebri de stirpe Jacobi.
5 Tunc illic aderunt sacri subsellia juris ;
Illic & David statuetur regia fides.
6 Ad Solymæ pacem fidas extollite palmas ;
Affluat ut cunctis , almam qui diligit urbem.
7 Fortibus alta tuis pax undique mœnibus [*c*] insit ;
Occupet & dives præcelsas copia turres.
8 Ipse pio fratum , comitumque repletus amore ,
Optima perpetuæ rogitabo [*d*] munera pacis.
9 Liminis imò Dei , nobis in secula Regis ,
Jugiter incensus nimio præcordia zelo ,
Semper inoblitus , pro te bona cuncta requiram . [*e*]

[*a*] Idem cum Euthymio. (*b*) Auth. Pr. Disc.

[*c*] Id est , propugnaculis. Ex Hebræo.

[*d*] In futuro , ex Hebræo.

(*e*) Ex Hebræo.

PSALMUS CXXII.

TITULUS , ET ARGUMENTUM

CANTICUM GRADUUM.

Origenes , s. Chrysost. Theodorus Heracl. Theodore-
tus , Beda , quibus assentitur Calmetus , hunc
Psalmum exponunt de captivis orantibus , sub jugo Baby-
loniorum gementibus , & in Domino spem suam collocan-
tibus. Bellarminus autem ait ipsum orationem continere
hominis peregrinantis ad cœlestem Jerusabem , & in exi-
lio , vel itinere pressuram patientis , Sed hic est mysticus
sensus .

PSALMUS CXXII.

- 1 Ad te levavi oculos meos , qui habitas in cælis.
 2 Ecce sicut oculi servorum , in manibus Dominorum suorum.
 3 Sicut oculi ancillæ in manibus Dominiæ suæ : ita oculi nostri ad Dominum Deum nostrum , donec misereatur nostri.
 4 Miserere nostri , Domine , miserere nostri : quia multam repleti sumus despectione.
 5 Quia multam repleta est anima nostra : opprobrium abundantibus , & despectio superbis.

VERSO.

- 1 O ! Ubicunque vigens , superâ qui degis in aula ,
 In te conversum lumen utrumque manet.
 2 Sicut enim servi palmas speculantur heriles ,
 Quatenus ad veniam (a) corda movere queant:
 3 Qualiter ancillæ , Dominarum verbere tortæ , [b]
 Supplicibus curant fundere verba labris ,
 Æternum pariter vigili de corde tuemur ,
 Dum ferit ingeminans vulnera digna reis ;
 Ipsius & Numen demissa mente rogamus ,
 Contritis donec parcere cogat amor.
 4 Quæsumus , ô ! nostri miseram , Deus , aspice sortem :
 Hostibus heu ! pridem fabula vana fumus .
 5 Undique jactati , probris saturamur acerbis ;
 Horridus ah ! nostrum contegit ora pudor :
 Rebus abundantes nobis convicia dicunt ;
 Quisquis & elatus mente feroce petit.

(a) Bellarminus; Genebr. verò ad viçum & defensionem. (b) Bell.

PSALMUS CXXIII.

TITULUS, ET ARGUMENTUM.

CANTICUM GRADUUM.

Gratias agunt Deo Iudei, quod ipsos à captivitate Babylon. liberaturus sit; quando nempe in patriam suam revertendi facultatem eis concedet Cyrus. Ita censent Pr. Disc. Authores cum Calmeto, Beda & antiquo Paraphraste Graeco; & hinc moraliter inferunt grates à fideli, cupidinum, mundi & dæmonis per gratiam victore, Domino esse rependendas. Referri etiam potest hic Psalmus ad persecutiones Paganorum, aliorumque impiorum, à quibus liberati sunt Martyres Sancti, & Electi cæteri quotidie liberantur.

PSALMUS CXXIII.

- 1 Nisi quia Dominus erat in nobis, dicat nunc Israël:
nisi quia Dominus erat in nobis,
- 2 Cum exurgerent homines in nos, forte vivos deglutissent nos:
- 3 Cum irasceretur furor eorum in nos, forsitan aqua absorbuisset nos.
- 4 Torrentem pertransivit anima nostra: forsitan pertransisset anima nostra aquam intolerabilem.
- 5 Benedictus Dominus, qui non dedit nos in captionem dentibus eorum.
- 6 Anima nostra, sicut passer, erepta est de laqueo venantium.
- 7 Laqueus contritus est; & nos liberati sumus.
- 8 Adjutorium nostrum in nomine Domini, qui fecit cœlum & terram.

VERSO.

- 1 **N**i Deus immensus, referent aliquando fideles (a)
Isacidæ quotquot, merito gens orta parente :
Ni Deus adjutor nobis clypeusque fuisset ,
- 2 **C**um nos impeterent homines per cuncta scelesti ,
Haud mora , viventes miseris fortasse (b) vo-
rassent ,
Non secus atque Leo morsu depascitur artus.
- 3 **U**nà cùm furerent , rapidus ceu fluxus aquarum ,
Actior illorum rabies nos fortè necasset ,
Ut reflui naves absorbent æquoris æstus.
- 4 **A**t verò tumidum faustè transivimus amnem ,
Auxiliante Deo , cui subjacet omne creatum ,
Quo sinè plebs nimiis forsan periisset in undis (c).
- 5 **N**unc juvat Æterno summas expendere grates ,
Qui sibi dilectos avida de fauce ferarum (d)
Eripuit miserans , mandi non passus ab ipsis.
- 6 **A**ucupis ut captus dirumpens retia passer ,
Aëra liber adit , mortem vitavimus atram ;
Vanaque spes hominum , cunctis est visa , no-
centum.
- 7 **C**ontrito (e) laqueo , diros evasimus hostes ;
Imò datur patriis iterum consistere Regnis.
- 8 **T**alia sunt nobis verè patrata per ipsum ,
Sidera qui cœli , terræ qui pondera finxit.

(a) A. P. D.

(b) Id est , certè . Ex Hebr. & Græc. & sic in duob. seqq. verbi-
culis : nam fortè , aliquando pertinet ad asseverationem cum
modestia , inquit Sacy cum Genebr. & aliis.

(c) Id est calamitatibus.

(d) Chaldaeorum.

(e) Subversio Imperio Babylonico.

PSALMUS CXXIV.

TITULUS, ET ARGUMENTUM.

CANTICUM GRADUUM.

Feliciter admodum, ait Calmetus, exponitur hic Psalmus de Iudaïis, qui animantur ad resistendum Sanaballat, Tobiae Ammonitæ, & aliis hostibus, qui post eorum è Babylone redditum, illos aggressi sunt, sive apertâ vi, sive calumniis suis. Vide Bedam, Theodoretum, Bossuetum, alios, & 2. Esdr. 4. & 6. quamquam de Israëlitis, adhuc in Chaldaea Captivis, Psalmum expōnunt Pr. Disc. Authores. Denique se populi sui Israëliticā protectorem declarat Deus; ipsique de omnibus inimicis victoriā promittit. Quod praecipue intelligendum est de Ecclesia, quæ verum Dei populum complebitur, & cui promisit se cum ipso futurum usque ad consummationem seculi.

PSALMUS CXXIV.

- 1 **Q**ui confidunt in Domino, sicut mons Sion: non commovebitur in æternum, qui habitat in Jerusalem.
- 2 Montes in circuitu ejus: & Dominus in circuitu populi sui, ex hoc nunc & usque in seculum.
- 3 Quia non relinquet Dominus virgam peccatorum super sortem justorum: ut non extendant justi ad iniquitatem manus suas.
- 4 Benefac, Domine, bonis, & rectis corde.
- 5 Declinantes autem in obligationes, adducet Dominus cum operantibus iniquitatem: pax super Israël.

VER S I O.

- 1 Permanet immotus , summo qui sperat in Ente :
 Aspera nulla movent , nec eum sententia vertit ;
 Haud secus ac Sion vertex , immobilis extans ,
 Ingentes etiam superat virtute dolores :
 Qui Solymæ degit (a) nullo trepidabit ab hoste ;
 Sed nec in æternum dubio jactabitur æstu.
- 2 Sicut enim sanctam circumdant (b) undique montes
 Urbem , sic Dominus plebem custodit amatam ;
 Insuper & totum vigilans servabit in ævum.
- 3 Non sinet Æternus longâ ditione tenere (c)
 Justorum sorte (d) icelerum quotcunque mi-
 nistros ;
 Ne pia gens factis tandem maculetur iniquis.
- 4 O ! Deus alme Parens , summi Regnator Olympi ,
 Munera des justis ; rectis & corde faveto.
- 5 Qui verò tacitè stricto de calle recedunt ,
 Conditor his meritò junget , qui prava sequuntur (e) ;
 Ac sine fine malos diro cruciabit in orco .
 Pax erit interea populo promissa fideli ;
 Isacides , turbis procul , insanoque tumultu ,
 Otia securus miti sub Principe carpet.

(a) In caelo , per spem & desiderium , ait Bellarm.

(b) Ad defensionem. Genebr. ex Hebr.

(c) Idem.

(d) Id est , hæreditatem. Ex Hebr.

(e) Sub. apertè & manifestè. Sacy cum Genebrarde.

PSALMUS CXXV.

TITULUS ET ARGUMENTUM.

CANTICUM GRADUUM.

Juxta quorumdam opinionem, & quam sequitur Calmetus, in hoc Psalmo exprimitur gaudium Iudeorum, à captivitate Babylonica in patriam suam reversorum. Sed quoniam maximus adhuc erat ultra Euphratem captivorum numerus, qui noluerant uti licentia, quam eis concederat Cyrus, quique inter gentes commorabantur; ideo fratres illorum, Ierosolymis degentes, Dominum hic precantur, ut corda eorum tangat, ipsisque desiderium se contribulibus suis reversis jungendi inspiret. Quae omnia Christianis facile accommodantur. De hujus Psalmi argumento longè aliter sentit Duguetus: eum enim ad futuram Iudeorum, circa mundi finem, conversionem, sub typo future liberationis à captivitate Babylonica principiū referendum esse optimè probat.

PSALMUS CXXV.

- 1 **I**N convertendo Dominus captivitatem Sion: facti sumus sicut consolati;
- 2 Tunc repletum est gaudio os nostrum: & lingua nostra exultatione.
- 3 Tunc dicent inter gentes: magnificavit Dominus facere cum eis.
- 4 Magnificavit Dominus facere nobiscum: facti sumus lætantes.
- 5 Converte, Domine, captivitatem nostram: sicut torrens in Austris;

- 6 Qui seminant in lacrymis, in exultatione metent.
 7 Euntes ibant & flebant, mittentes semina sua.
 8 Venientes autem venient cum exultatione, portantes ma-
 nipulos suos.

VERSO.

- 1 C Aptivam Dominus dignans revocare Sionem,
 Aspera sic nostrî fata levavit amans :
 Vana quidem somni nobis hæc visa fuere (a)
 Gaudia ; tûm sensus obstupuere nimis.
 2 Cœpimus at citius festivas pendere grates ; (b)
 Quin est lætitiæ factus in ore sonus. (c)
 3 Talia dum passim cernent miracula gentes ,
 Omnipotens , dicent , grandia fecit eis.
 4 Grandia , nec dubiè , nobis perfecit Adonai ;
 Plausibus hinc lætis pectora nostra fremunt.
 5 Terra velut sitiens , calidos quæ vergit ad Austros ,
 Indiget ut densis tota rigetur aquis ; (d)
 Haud secùs ac pluviis tellus aptatur amicis ,
 Quo valeat gratas promere ruris opes ,
 Tu bonitas unus , populum resoveto jacentem ;
 Orbis ab extremis nos , Deus alme , reduc.
 6 Qui sua lugentes committunt semina terræ ,
 Postea gaudentes multiplicata legent. (e)
 7 Mos erat his mœstos aliàs effundere rores ,
 Ceu dolet agrestis dedita grana solo :
 Ancipiti mentes aderant formidine pressæ ,
 Credita ne mendax fortè negaret ager.

(a) Facti sumus quasi somniantes. Hier. ex Heb.

(b) Præt. pro futuro, sicut & in præced. vers. Duguet.

(c) Calm. ex Hebr.

(d) Vers. 5. Sic ex Hebr. vertit Duguetus : Faites , Seigneur , pour nous délivrer de captivité , ce que font les fontaines & les canaux à une terre méridionale & brûlée.

(e) Prophetæ , Apostoli & alii ministri Evangelici. Idem.

¶ Certius at venient plenos portando maniplos,
 Fuderit ut fruges terra benigna suas:
 Tum nova felici prodentes jubila plausu,
 Incipient festos concelebrare dies.




PSALMUS CXXVI.

TITULUS ET ARGUMENTUM.

CANTICUM GRADUUM SALOMONIS.

„ **P**robabilior hujus Psalmi expositio, inquit Bellarm.
 „ videtur esse illa, quam tradiderunt Graeci, s.
 „ Joan. Chrys. Theoderetus & Euthymius; quod videlicet
 „ pertinet at hæc prophetica exhortatio, sive admonitio ad
 „ Populum Hebreorum post reversionem à captivitate Ba-
 „ bylonica, quando laborabat in ædificanda domo Dei,
 „ & restauranda civitate Ierusalem, & à vicinis genti-
 „ bus, toto ferè illo tempore vexabatur & impediebatur.
 „ Docet igitur, & exhortatur eos Propheta, ut ad Deum
 „ confugiant, & coadjutorem incepto operi invocent.,
 „ Quod autem tunc agebatur, typus erat eorum quæ facta
 sunt in constitutione Ecclesie, & eorum quæ quotidiè fiunt
 erga animas circa mysticam Templi ædificationem occupa-
 tas. Sed in vanum laboramus & invigilamus, nisi fidu-
 ciâ mereamur ut laboribus nostris & vigiliis prosperos
 Deus concedat exitus.



PSALMUS CXXVI.

- ¶ **N**isi Dominus ædificaverit domum , in vanum laboraverunt qui ædificant eam.
 2 Nisi Dominus custodierit civitatem , frustrè vigilat qui custodit eam.
 3 Vanum est vobis ante lucem surgere : surgite postquam sederitis , qui manducatis panem doloris.
 4 Cùm dederit dilectis suis somnum : ecce hæreditas Domini , filii ; merces , fructus ventris.
 5 Sicut sagittæ in manu potentis : ita filii excusorum.
 6 Beatus vir , qui implevit desiderium suum ex ipsis : non confundetur , cùm loquetur inimicis suis in porta.

VERSO.

- ¶ **N**I Faber æthereus sacram fundaverit ædem (a),
 Tunc labor artificum prorsùs inanis erit.
 2 Si vigilans desit Domini custodia vallo ,
 Urbis ad auxilium nulla valebit homo :
 Pervigiles quamquam produxerit undique noctes ;
 Nil tamen immenso proderit absque duce,
 3 Luminis , ô ! cives , frustrè prævertitis ortum ,
 Ni Deus incoptum ritè secundet opus : (b)
 Huic igitur soli nimias committite curas ; (c)
 Surgite post requiem (d) , quos mala tanta
 premunt ;
 Quique graves passi noctuque diuque labores ,
 Vix modicum , pressi , carpitis inde cibum.

(a) Id est , Templum. Calmet. cum Patribus. Quod maximè intelligendum est de templo spirituali.

(b) Bellarm. (c) Idem.

(d) Genebr.

- 4 Quando suis dederit blando gaudere sopore (a),
 Ecce palam fient pignora sacra Deo : (b)
 Hæc erit æterni merces promissa Parentis , (c)
 Quam tribuet nato , tempus in omne , suo ,
 Qui nostræ miserans delebit crimina vitæ ,
 Virginis è puro sanguine factus homo.
 5 Qui priùs infandi fuerant ludibria mundi , (d)
 Horum filiolos induet usquè vigor :
 Instar erunt hominis depromere tela periti ,
 Qui validâ semper dirigit illa manu.
 6 Felix , cui tales veniunt hæredia nati ; (e)
 Hostibus in mediis , undique tutus erit :
 His , in judicio , fuerit si fortè locutus ,
 Haud erit ut stantis contegat ora pudor :
 Ad portas [f] etenim quoties convenerit urbis ,
 Tum responsa malis irreprehensa dabit.

(a) Id est, pace & quiete per Christum. Bellarm.

(b) Idem.

(c) Euthym. cum S. Hilario. Et hæc fortasse verior est expositio ; inquit Bellarminus. Sic ferè vers. istum intelligit Duguetus, qui integrum Psalmum exponit de gratiæ Christi mysterio.

(d) Genebr. cum aliis multis.

(e) Idem cum Bellarmino. S. Hier. ex Hebræo : implevit pharetrum suam ex ipsis.

(f) In urbis porta exercebantur judicia. Quod de ultimo judicio mysticè intelligit Bellarminus.

PSALMUS CXXVII.

TITULUS ET ARGUMENTUM.

CANTICUM GRADUUM.

„ **Q**uando quidem bona terræ promittebat lex anti-
 „ quæ; ideo, ait Bell. bona illa populo Dei proponit
 „ Psalmista, tamquam mercedem futura ipsorum in divino

, famulatu fidelitatis. Qui autem jam tunc ex fide vi-
 , vebant , uti fecerat pater eorum Abraham , in istis
 , temporalibus bonis alia contemplabantur bona , cœlestis
 , nempe Jerusalem. Hortatur itaque Propheta ad pieta-
 tem , propositâ ingenti mercede virtutis. , Sanius ta-
 men videtur nobis cum Duguelo , Psalmum intelligendum
 esse de Christo , & sponsa ejus Ecclesia.

PSALMUS CXXVII.

- * **B**EATI omnes , qui timent Dominum , qui ambulant in
 viis ejus.
- 2 Labores manuum tuarum quia manducabis : beatus es , &
 benè tibi erit.
- 3 UXOR tua sicut vitis abundans , in lateribus domus tuæ:
 4 Filii tui sicut novellæ olivarum , in circuitu mensæ tuæ.
- 5 Ecce sic benedicetur homo , qui timet Dominum.
- 6 Benedicat tibi Dominus ex Sion : & videoas bona Jerusalem
 omnibus diebus vitæ tuæ.
- 7 Et videoas filios filiorum tuorum , pacem super Israël.

V E R S I O.

- 1 **O**! Ter felices , Dominum quicunque verentur (a) ;
 Illius & calles gressu properante sequuntur.
- 2 Maxima quòd merces (b) operum tibi , Christe ,
 manebit ,
 Jam satis es felix ; & eris sine fine beatus ,
 Utpotè perstantum genitalis origo bonorum.
- 3 Casta tui consors thalami , virgoque decora ,
 Juncta fide stabili , fœcundæ vitis ad instar ,

(a) Timore casto & filiali , non verò servili . Duguet.

(b) Glorificatio corporis , & nominis exaltatio . Idem.

- Atque novas læto mittentis palmitæ gemimas ,
 Septa domus (a) intrâ , noctesque diesque , ma-
 nendo ,
 Moribus insigni faciet te prole parentem.
 4 Infuper & natos (b) , viridis ceu germen Olivæ ,
 Conspicies gaudens vegetos , mensæque locatos.
 5 Talia quippe manent , Æternum quisquis honore
 Prosequitur digno , labiis & pectore verax ;
 Conditor hunc mundi cunctos benedicet in annos.
 6 Te donis cumulet sacro de vertice Sion ,
 Optima qui gratis , vel non poscentibus , offert :
 Tu Solymæ toto videas (c) bona tempore vitæ ;
 7 Perspiciasque tibi caros per secula nepotes ;
 Isacidas veros æternâ pace fruentes ,

[a] Genebr. [b] Apostolos sponsi filios , Mat. 9. 15.

[c] Id est , possideas.



PSALMUS CXXVIII.

TITULUS ET ARGUMENTUM.

CANTICUM GRADUUM.

Sanctus Chrysostomus , Theodorus Heracleensis ,
 Theodoret. Euthymius & plures alii , quibus liben-
 ter cum Calmeto assentimur , existimant hunc Psalmum ,
 post redditum à captivitate fuisse compositum ; quando Ju-
 dei , diu toleratis omnibus à malignitate & invidia ini-
 micorum suorum , quieti tandem fuerunt in civitate Je-
 rusalem , Templum Domini reædificatum viderunt , mu-
 rosque civitatis optimè restauratos. Quæ omnia Ecclesie
 Cath. perfectè convenient , & unicuique fidelium facile
 accommodantur.

PSALMUS CXXVIII

- 1 **S**æpe expugnaverunt me à juventute mea , dicat nunc Israël.
- 2 Sæpe expugnaverunt me à juventute mea : etenim non potuerunt mihi.
- 3 Supra dorsum meum fabricaverunt peccatores : prolongaverunt iniquitatem suam.
- 4 Dominus justus concidit cervices peccatorum : confundantur & convertantur retrorsum omnes, qui oderunt Sion.
- 5 Fiant sicut fœnum tectorum : quod priusquam evellatur , exaruit.
- 6 De quo non implevit manum suam qui metit , & sinum suum qui manipulos colligit.
- 7 Et non dixerunt qui præteribant : benedictio Domini super vos : benediximus vobis in nomine Domini.

VERSO.

- 1 **A** Teneris annis (a) , dicat nunc orta Jacobo Progenies ; iterum dicta referre juvet :
- 2 A teneris annis , crebrò mihi bella cière Hostes ; at minimè prævaluere (b) mali.
- 3 Dura velut fábrum validè contunditur incus , Dum pereat ferri folidus igne situs ; Assolet ut virgis tergum proscindere Lictor , Impia sic hominum nos habuere cohors. [c]
- 4 Hinc merito Dominus cervices franget iniquas , Aspera quæ nobis imposuere juga :

(a) Ab incolatu in Ægypto. Calmet. cum Genebr.

[b] Bellarm. & Genebr.


[c] Hier. ex Hebr. supra dorsum meum arabant arantes ; prolongaverunt sulcum suum.

Occupet

- Occupet hostiles turpis confusio vultus ; (a)
 Hinc abeat retro gens inimica Sion.
 5 Herba velut fiant , nascens in culmine tecti ,
 Ac prius arescens , quam sit adempta loco. (b)
 6 De qua nil curans messor , nec fascibus implet
 Brachia , neve sinus anteriora sui.
 7 Sed neque propter eam tales contingit ut ullus
 Præteriens unquam proferat ore sonos :
 Vos super adveniat benedictio larga Creantis ;
 Ætheream vobis sponte precamur opem.

(a) Prædictio de peccatoribus obstinatis. Bell.

(b) Pagn. ex Heb.



PSALMUS CXXIX.

TITULUS ET ARGUMENTUM.

CANTICUM GRADUUM.

Hic Psalmus , unus est ex Gradualibus , quia deplo-
 rat miseriam exilio ; unus est etiam ex pœnitentia-
 libus , quia docet rationem agendi veram pœnitentiam .
 Hinc est , quod Ecclesia eum cantare solet in oratione pro
 Defunctis , qui in Purgatorio detinentur , ut ibi divina
 justitiae satisfaciant , quique indigent ut cum ipsis indul-
 genter agat Deus . Verisimile videtur Calmeto cum pleris-
 que antiquorum , ac multis recentiorum , orationem esse
 Iudaeorum in Babylone captivorum , qui sub jugo servi-
 tutis gementes , Omnipotentis auxilium implorant ,
 spemque suam in ipso uno humiliter ponunt . Tria deni-
 que continet Psalmus , orationem ad Deum , exhortatio-
 nem ad populum , & prædictionem Redemptionis futurae
 per Jesum Christum .

PSALMUS CXXIX.

- D**E profundis clamavi ad te , Domine : Domine ;
exaudi vocem meam.
- 2 Fiant aures tuæ intendentes : in vocem deprecationis
meæ.
- 3 Si iniurias observaveris, Domine : Domine , quis susti-
nabit ?
- 4 Quia apud te propitiatio est : & propter legem tuam susti-
nui te , Domine.
- 5 Sustinuit anima mea in verbo ejus : speravit anima mea in
Domino.
- 6 A custodia matutina usque ad noctem , speret Israël in
Domino.
- 7 Quia apud Dominum misericordia : & copiosa apud eum
redemptio.
- 8 Et ipse redimet Israël ex omnibus iniuriatibus ejus.

VERSO.

- 1 TE libet ex imis (*a*) toto de corde vocare ;
Hinc , Deus , exaudi , quas tibi fundo , preces .
- 2 Sollicitas verbis aptare precantibus aurés
Digneris miserans , atque rogata dare.
- 3 Si vigil excutias (*b*) quidquid patramus iniqui ,
Quis consistat (*c*) homo ? Quis tolerare queat ?
- 4 Quandoquidem mirā semper dulcedine præstas ,
Ob tibi præscriptum (*d*) spem retinere juvat .
- 5 Illius didici verbo me credere totum ;
Ipse Deus nobis spes animosa manet .


(*a*) Ex profundo miseriæ , & ex profundo cordis. Bellarm.

(*b*) Calm. Ex Hebr. (*c*) Geneb.

(*d*) Id est juxta legem , quam tibi ipse præscripsisti de venia pœni-
tentibus concedenda. Calm. & Bellarm. cum S. Chrys.

- ¶ Isacides Domino, nullo non tempore (a), fidat ;
 Insuper & constans, simplice mente colat.
 7 Nam penes Aeternum residet pietatis origo ;
 Hic potis est cunctis solvere vincla reis.
 ¶ Unde sui nimio populi pertractus amore ,
 Israele satis debita quæque dabit.

(a) Geneb. cum Euthym. & S. Chrysost.



PSALMUS CXXX.

TITULUS ET ARGUMENTUM.

CANTICUM GRADUUM.

Est etiam hic Psalmus ex Gradualibus unus, quoniam docet in quo humilitas vera consistat, & nulla est via securior ad ascendendum humilitate, diligente Domino: omnis qui se humiliat, exaltabitur. Luc. 14. 10. David igitur, ut sentiunt Commentatores multi; sive Israëlite quisque fidelis inter captivos honoratior, ut cum aliis opinatur Calmetus, in hoc Psalmo, humilitatis virtutem sibi ipse tribuit: quoniam sèpè accusatus fuerat superbia & ambitionis, à quo vito maxime abhorrebat. Hinc infert Euthymius gloriari pariter nos decere de virtute; quando nimis non ad ostentationem gloriamur, sed ad audientium commodum; hoc est, quando illi hujuscemodi gloriacione, ad virtutum institutionem invitantur.



PSALMUS CXXX.

- 1** D Omine, non est exaltatum cor meum : neque elati sunt oculi mei.
2 Neque ambulavi in magnis, neque in mirabilibus super me.
3 Si non humiliter sentiebam : sed exaltavi animam meam:
4 Sicut ablactatus est super matre sua , ita retributio in anima mea.
5 Speret Israël in Domino , ex hoc nunc & usque in seculum.

V E R S I O.

- 1** INTIMA qui rerum nosti , sensusque latentes !
 Non mihi cor tumidum , fronsve superba sedet.
2 Totâ quin potius sublimia mente refugi ,
 Ac minus ingenio consona facta meo. (a)
3 Si mihi complacui , pravo delusus amore ;
 Si quandoque gerens turgida corda fui ,
4 Haud secus ac infans depulsus ab ubere matris ;
 Illius in gremio pendet acerbà gemens ;
 Nititur & frustrà notas exugere mammas ,
 Sic tu , juste Parens , me gravis ultior habe: (b)
5 Æthereâ nostrum careat dulcedine pectus ;
 Nequitiæ pœnas mens tumefacta luat.
5 Coelitum Regi dudum gens ritè dicata ,
 Nil sibi de donis arroget ipsa datis ;
 Subdita sed , Domino confidere sponte suescat ,
 Nunc & in æternum spes agitare suas.

(a) Genebr. & Bellarminus.

(b) Sic ferè vers. istum exponit. Bellarm.

PSALMUS CXXXI.

TITULUS ET ARGUMENTUM.

CANTICUM GRADUUM.

Arbitrantur quidam Psalmum hunc à Davide fuisse compositum, ut caneretur in translatione arcæ in Templum, quod postea edificavit Salomon filius ejus. Ad litteram autem continet in primis hic Psalmus commemorationem ardentissimi desiderii, quo tenebatur David edificandi Templi; & hinc admonetur quilibet Christianus quanto fervore flagrare debeat in edificando spiritualitem pro quod ultimam perfectionem accepturum est in Cælis.

Ex Pr. Discuss. Authoribus, Ecclesia Israëlis nomine Davidis designata in vers. 1, 10, & 18. Samaritanorum, Pharisæorum & Sadduceorum sectis dilacerata, adventum Verbi anhelans exposcit. Suscipit sermonem Messias, & bona summo discipulos suos gaudio perfusus pollicetur.

PSALMUS CXXXI.

- 1 **M**emento, Domine, David, & omnis mansuetudinis ejus:
- 2 Sicut juravit Domino, votum vovit Deo Jacob :
- 3 Si introïero in tabernaculum domus meæ, si ascendero in lectum strati mei.
- 4 Si dedero somnum oculis meis, & palpebris meis dormitionem,
- 5 Et requiem temporibus meis : donec inveniam locum Domino, tabernaculum Deo Jacob.

- 6 Ecce audivimus eam in Ephrata : invenimus eam in campis sylvæ.
 7 Introibimus in tabernaculum ejus : adorabimus in loco,
 ubi steterunt pedes ejus.
 8 Surge, Domine, in requiem tuam , tu & arca sanctifica-
 tionis tuæ.
 9 Sacerdotes tui induantur justitiam : & Sancti tui exultent.
 10 Propter David servum tuum , non avertas faciem Chris-
 ti tui.
 11 Juravit Dominus David veritatem , & non frustrabitur
 eam : de fructu ventris tui ponam super sedem tuam.
 12 Si custodierint filii tui testamentum meum , & testimonia
 mea hæc , quæ docebo eos:
 13 Et Filii eorum usque in seculum , sedebunt super sedem
 tuam.
 14 Quoniam elegit Dominus Sion : elegit eam in habita-
 tionem sibi.
 15 Hæc requies mea in seculum seculi : hic habitabo , quo-
 niam elegi eam.
 16 Viduam ejus benedicens benedicam : pauperes ejus satu-
 rabo panibus.
 17 Sacerdotes ejus induam salutari: & Sancti ejus exulta-
 tione exultabunt.
 18 Illuc producam cornu David : paravi lucernam Christo
 meo.
 19 Inimicos ejus induam confusione : super ipsum autem
 efflorebit sanctificatio mea.

VERSO.

- 1 O ! Qui Regnum varjas moderaris habenas ,
 Cujus ad imperium tellusque polusque tremiscunt;
 Tu tibi sufficiens,humilis(a)reminiscere David (b) ,
 Quanta tuâ causâ fuerit perpessus amara.
 2 Illius haud sacro labatur pectore pactum ,
 Quo tibi juravit Domino , votisque reclusit

(a) Id est affliti , Ex Hebr. (b) Ecclesiæ Israëlis. A P. D.

Ora Deo Jacob, Ifac de sanguine creti :
 3 Non ego pulchra mei visam penetralia (a) tecri ;
 Haud erit ut mollem placeat concendere lectum ;
 4 Nec mihi contigerit segni dare lumina somno ,
 5 Temporibusve prius gratam præbere quietem ,
 Quam locus & nobis solium sint nota Tonantis ,
 Cujus erat Jacob cultor pietate decorus.

ISRAELITARVM CHORVS.

6 Finibus in Bethleem (b), nostras ut venit ad aures ,
 Ecce Tabernaculum jam novimus esse locandum ;
 Huic nemoris campos (c) invenimus affore sedem .
 7 Atria nos Domini fidos penetrare juvabit ;
 Subiectamque Dei pedibus venerabimur aram (d).

ECCLESIA ISRAELIS.

8 Omnipotens ! Sanctis venias requiescere tectis ;
 Foederis arca [e] simul , divino sacra decori .
 9 Qui tua vasa ferunt , juris sint usquè tenaces ;
 Horum quisque suo fungatur munere lætus .
 10 Esto memor David, servi per cuncta fidelis ;
 Hunc tu respiciens , ô ! Rex altissime regum ,
 Parce tui , quæso , faciem confundere Christi ,
 Quem dignare pius patris succedere Regno .
 11 Tu siquidem jurans , verissima verba dedisti ;
 Irrita nec facies pacto jurata perenni :
 Filius ecce tuā veniet de stirpe creatus ,
 Omnia cuius erit justum per secla tribunal .

(a) Sacy.

(b) Aut. Pr. Disc. cum S. Hier.

(c) Id est Jerusalēm in area Ornata Iēbusæi sylvosa & nemorosa
arborib. confita. Genebr.

(d) Id est arcā foederis.

(e) Id est humanitas tua. A. P. D. cum Sancto Hilario.

VERBUM AD ECCLESIA M.

- 12 Si mea fortè tui fœdus mandataque nati ,
Tempora donec erunt , studeant servare fideles ;
13 Et quoscunque dein nasci continget ab illis ,
Ordine perpetuo venient in Sceptra parentis.

P R O P H E T A.

- 14 Næ Deus elegit caræ montana (a) Sionis ;
Illic & propriam voluit desigere sedem.

VERBUM AD PROPHETAM.

- 15 Hæc mihi blanda quies , nullo mutanda recessu ;
Præ cunctis isthic placuit residere locorum.
16 Ipsius viduam (b) donis cumulabo supernis ,
Nullaque deserti patietur damna cubilis ;
Largus , opum nudos dapibus saturabo benignis ,
Quotquot erunt illic cœlestia ritè petentes.
17 Imò fæcerdotes ejus vallabo salute (c) ;
Juverit & Sanctos testari gaudia plausu.
18 David [d] ibi faciam robustum germen oriri [e] :
Tempore namque suo , proles nascetur ab illo ,
Cujus erit nullos habitura potentia fines.
19 Tunc inimicorum turpis confusio vultus
Conceget abjectos , victique pudore recedent ;
At caput illius cinget diadema [f] decoris ,
Quod penitus firmum , nusquam marcescat ab
annis.

[a] Ecclesiam. Bellarm.

[b] Ex Hebr. & Græco, escam, sive victimum, venationem & prædam.

[c] Id est salutari virtute & pietate. Menoch.

[d] In dat. casu, Ex Hebr. & Gr.

[e] Genebr. Ex Hebr.

[f] Hieronymus, ex Hebreo.

PSALMUS CXXXII.

TITULUS ET ARGUMENTUM.

CANTICUM GRADUUM DAVID.

Instauratam post redditum è captivitate inter Iudam & Israëlem concordiam , nec - non inter Iudeos fideles & Gentiles sub lege Messiae , cum gaudio contemplabatur Propheta , aiunt Pr. Disc. Aut. unde colligunt unioni & charitati favores suos Deum addicere. Convenit quidem hic Psalmus omnibus fidelium Ordinibus ; maxime vero , ut inquit Bell. omni multitudini , ubi viget concordia & communio , quales sunt multitudines servorum Dei in monasteriis , ubi regularis floret observantia . Sed potissimum locum habet in cœlesti patria , ubi omnes sunt consummati in unum , ut loquitur Dominus , Joan. 17. 23. Ad altiorem hujus Psalmi intelligentiam , consulatur Dugueti commentarium.


PSALMUS CXXXII.

- 1 **E**cce quām bonum , & quām jucundum , habitare fratres in unum.
- 2 Sicut unguentum in capite , quod descendit in barbam , barbam Aaron ;
- 3 Quod descendit in oram vestimenti ejus : sicut ros Hermon , qui descendit in montem Sion.
- 4 Quoniam illic mandavit Dominus benedictionem , & vitam usque in seculum.



VERSO.

- 1 QUAM bona, quām dulcis perstans concordia
fratrum,
Quā datur unanimis communi vivere pacto,
Ac propè par superis traducere cōtibus ævum!
- 2 Est velut unguentum redolens fragrantis olivi,
Quod calamo(*a*), casia, tractis & cortice myrrhis
Compositum (*b*), nec-non & olientia cinnama fer-
vans,
- Aronis, summi liniebat tempora Mystæ,
Insignis pietate viri, meritisque probati;
- Ambo (*c*) quod augustæ rorando latuscula barbae,
3 Præfulis extremas vestis manabat ad oras;
- Atque simul blandum latè spargebat odorem.
Insuper est verè socios Conventus amantūm
Roscidus ut celsis Hermon de collibus imber, (*d*)
Desuper irrorans almæ fastigia Sion (*e*),
Illius & grato fœcundans nectare terras.
- 4 Illic (*f*) Omnipotens pretiosa charismata confert;
Illic perpetuæ largitur pignora vitæ,
Quam neque vis poterit, nec edax auferre ve-
tuſtas.

(*a*) Cannâ aromaticâ.(*b*) Exod. 30. 23.(*c*) Auth. Pr. Disc. cum Muisio.(*d*) Genebrardus.(*e*) Hermon conjunctæ, sed inferioris. Duguet.(*f*) In loco concordiæ, charitatis & unitatis. Genebrardus.

PSALMUS CXXXIII.

TITULUS ET ARGUMENTUM.

CANTICUM GRADUUM.

Cantica Gradualia finem accipiunt in isto Psalmo, quem in gratiarum actionem desinere voluit Prophet: hortatur enim eos, qui jam feliciter ascenderunt, ut condignas Deo gratias agant, & numquā à laudibus ejus cessent. Quamvis autem, iuxta literam, hic Psalmus ad eos pertineat, qui post edificationem Templicis, in illo habitabant; potest tamen ad omnes Christi fideles accommodari, qui dum peregrinantur in terra, corde habitare nituntur in cælo; maximè vero ad Religiosos, & Ecclesiæ ministros.

PSALMUS CXXXIII.

- 1 Ecce nunc benedicite Dominum, omnes servi Domini.
- 2 Qui statis in domo Domini, in atriis domus Dei nostri.
- 3 In noctibus extollite manus vestras in sancta, & benedicite Dominum.
- 4 Benedicat te Dominus ex Sion, qui fecit cœlum & terram.

VERSO.

AD SACERDOTES ET LEVITAS.

- 1 Protinus Aëternum, sacri laudare ministri
Vos juvet, ac meritas ipsi persolvere grates:

- 2 Ad vos , in Templo stantes , his vocibus utor ;
 Quique Dei nostri sanctâ residetis in aula ,
 Ut potè mundanis exuti pectora curis .
- 3 Quotquot eunt noctes (a) , mundas extollite
 palmas
 Ad convexa (b) poli ; laudesque referte sedenti .

A D P O P U L U M .

- 4 Gaudia jam lapsi cumulent inopina dolores , (c)
 Quæ tibi donentur , Sion de monte , per ipsum ,
 Qui mare de nihilo , Cœlum terramque peregit .

(a) Mor. tempore adverso .

(b) Genebr .

(c) Benè precatur Proph. pro unitate servorum Dei . Id. cum
 Bellarm.

F I N I S .

Permis d'imprimer ce septième quin mil sept cent
 soixante-six. DE MORLHON , Juge-Mage.



